



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||  
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In  
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

**Puente, Luis de la**

**Coloniæ Agrippinæ, 1625**

Cap. X. De Sacramentali Satisfactione per Ieiunia, Eleemosynas, &  
Orationem & perfecta reformatione, quæ eisdem operibus obtinetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39652**

## CAPVT X.

DE SACRAMENTALI SATISFACTIONE PER  
*Ieiunia, Eleemosynas, & Orationem & perfectam reformationem, quæ eisdem operibus ob-  
 tinetur.*



ONFESSIO<sup>NIS</sup> itinere expedito, reliqua duo inchoamus, Satisfactionis, & Reformationis: quæ ordinariè simul peraguntur. SATISFACTIO pars est Sacramenti Pœnitentiæ. DEVS enim D. N. ita cum culpa æternam pœnam, quæ in inferno luenda erat, remittit: vt eius loco *temporalem* aliquam exigat, vel in hac vita, vel in purgatorio luendam. Spectat autem ad munus Confessarij, pœnitenti præscribere aliqua opera, ac porro ad ea, obligare: quibus temporali huic pœnæ satisfaciatur; & simul à nouis culpis præseruetur. Quæ opera ex hoc quòd sint pars sacramenti, duplicem præ alijs excellentiam habent: *Alteram*, quòd non solum remissionem pœnæ obtinent, quæ labori proprio ea præstantis respõdet, sed etiam ex opere operato, in virtute ipsius Sacramenti aliquid amplius remittunt, ita vt si pro spontaneo vnius diei ieiunio remittatur tibi pœna vnius diei in purgatorio. idem ieiunio à Confessario in pœnitentiâ iniuncto plus aliquid remissionis purgatorij pœnæ debeat; licet non lateat quantus ille sit excessus. Necessè tamen est, hæc satisfactionem in statu gratiæ expleri: nullum enim opus quod extra eum statum peragitur, ex vltimo esse potest ad meritum, aut satisfactionem pro aliqua pœna. *Alteram* excellentiam hac præstantiorem attribuit S. Thomas eisdem operibus, dicens, ea non solum pœnas remittere, sed aliquem etiam gratiæ gradum obtinere, præter eum, quem spontaneè tantum facta mererentur. Quoniam enim sunt pars Sacramenti, virtutem habeant, ad gratiam benè alias disposito, communicandam.

§. 1. *Tria opera satisfactoria.*

SEd hoc prætermisso, quod est singulare in his operibus, quæ sunt pars quædam huius Sacramenti: loquamur in genere de omnibus, quæ ad tria præcipua communiter reducuntur: IEIUNIUM, scilicet, ELEEMOSYNAM, & ORATIONEM: sub quibus reliqua continentur, quæ ad eundem finem & scopum adiuuât. Illis enim pretiosissimum quoddam nostrarum omnium rerum sacrificium Deo offerimus. Nam IEIUNIO & alijs operibus carni nostræ molestis, quales sunt flagellationes, cilicia & alia similia,

offe-

Satisfactio-  
 nis efficacia.

Remittit &  
 meretur.

3. p. 9. 90. a.  
 2. ad secundum

Vide Suarez  
 2. om. 4. disp.  
 3. sect. 2.

ieiunium.

offerimus (vt ait Apostolus) *a corpora nostra hostiam uiuentem*; cum eis, quæ delectabilia sunt huius mundi, subtrahimus: **ELEEMOSYNA**, & misericordiae operibus corporalibus offerimus ei facultatum nostrarum *b hostias* dū nos earum commodis spoliamus, vt ipsius iram placemus: **ORATIONE** & operibus diuini cultus, sacrificium ei laudis offerimus; nostrumque spiritum sacrificamus, tradentes illi cor nostrum, rem scilicet præ alijs illi gratissimam. Et quemadmodum Magi *c obtulerunt* puero **IESU** aurum, *thuris*, & *myrrham*: ita nos myrrham offerimus *ieiunij*, quod est carni amarum, aurum *elemosyna*, quæ pauperi datur; & thus *oratio* is, quæ in cælum ascendit.

**P R Æ T E R E A**: quoniam peccata & nobis & proximis detrimentum, Deo verò iniuriam afferunt: par est satisfactionem nostram nobis pœnam, proximis commodum, Deo verò ipsi honorem afferre. Et quoniam eorum radices, vt S. Ioannes dixit, sunt *d concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia uitæ*: decet satisfactionem oēs has radices euellere, vt sic etiã à recidiua præseruet. **IEIUNIO** carnis concupiscentia mortificatur; **ELEEMOSYNA** cupiditas oculorum; humili verò **ORATIONE**, veraque Deo subiectione, vitæ superbia damnatur. Quodcunque verò horum operum prudens Confessarius intulerit, tam ad satisfaciendum pro culpis præteritis, quàm ad præseruandum à futuris, meritò pœnitens acceptabit; humili- que obedientia, & prompta ac integra exequetur, non ostendendo repugnantiam, nec impertinentes exculpationes afferendo, aut moras non necessarias trahendo: sed propriam voluntatem simul cum his operibus sacrificando: vt perfectè diuinam adimpleat: sic enim ex omnibus simul perfectum fiet holocaustum, simile illi, quo **DEVS** iubebat e *vitulum* offerri, cuius supra fecimus mentionem. Cultro enim castigationis & pœnitentiæ externæ *vitulum* iugulas cordis tui; *feruiscendo carnem tuam cum vitis & concupiscentiis eius; pellem derabis*; cum aliquod bonorum tuorum tibi subtrahis, vt nidos vitias, & subuenias indigētibus. *Arms in frustra cōcidis*, qui prius comincti erant, cum te retrahis à personis & rebus: quæ quòd inordinato affectu eis adhæres, occasione tibi erant peccandi; *agua verò super altari eos lavas*: cum pie & cum lachrymis ipsam orationem, cultumque diuinum exerceas; meditationibus verò, quibus illa vitam quodammodo accipiunt, *si uem lignorum* subiecis, qua ignem charitatis in anima foves: quo igne sensim illa ab omni culparum odore purificatur, Deoque tota in perfectissimum holocaustum cum odore suauitatis offertur. Refert verò plurimum, te accelerare in hac vita, vt hoc holocaustum plene offeras: nam quod hic non combuleris igne charitatis, comburetur in futura vita, igne purgatorio: quo iusti culparum suarum pœnas luant, pro quibus hic satisfacere neglexerunt. Cuius rei figuram lex holocausti adumbravit, quæ sta-

a Rom. 12. 1  
Elemosyna  
b Heb. 13. 16

Oratio.

c Mat. 2. 10.

Tres debito-  
res.

d 1. Io. 2. 10.  
Tres radices  
peccati.

e Leuit. 1. 6.  
e 7. § 2.  
f Gal. 5. 24.

Holocaustum  
pœnitentiæ.

g Leuit. 6. 9.  
Pœnitentia  
acceleranda  
& continu-  
nuanda.

Vide Ribera  
de sacrificio  
lib. 4. c. 3.

Purgatorij  
satisfactio.

h Mat. 5. 26.

i Luc. 3. 8.

Homil. 2. in  
Euang.

Refert Phi-  
lip. Diez.  
to. 2. Qua-  
drag. p. 2. fe-  
ria 4. post  
Dominic. 1.

tuit, vt g cremaretur in altari tota nocte vsq; mane, sufficientibus lignis sup-  
positis, vt totum consumeretur. Quod si aliquid superesset, & ipsos cineres,  
quos vorans ignis excussit, statuit eadem lex, vt Sacerdos spoliatus vestimentis sa-  
cerdotalibus, & aliis indutus efferret eosextra castra, & in loco mundissimo alio  
igne, à sanctuarij igne diuerso, vsque ad fauillam coniungi faceret. Quid enim  
aliud hoc totum fuit, nisi documentum quoddam & admonitio sollicitu-  
dinis adhibendæ in offerendo Deo, tui ipsius holocausto cum pœnitentiæ  
operibus? vt scilicet illud ardeat, duretque tota huius vitæ nocte, tanta li-  
gnorum copia ad ignem diuini amoris fouendum subiecta, vt sufficiat ad  
te ab omnibus culpis & pœnis purificandum; vt hinc purus ab omnibus  
expeditus exiens, rectâ ingrediaris in æternam gloriam: vbi tuorum labo-  
rum præmio fruaris. Quod si ob incuriam & exiguam tuam pœnitentiam,  
tota hæc nox elabetur, antequam totum cõsumatur, ac proinde aliqua su-  
per sint venialium culparum pœnæ, aut etiam mortalium, intellige, te ip-  
sum, qui huius holocausti sacerdos es spiritualis, manere exitum veste carnis  
tuæ, ire debere extra castra Ecclesiæ militantis, ad locum separatum, licet  
mundissimum, ipsum scilicet purgatorium, in quo horrendissimo igne sicut  
aurum in confatorio purificeris: donec præteriti peccati vestigium nullum  
super sit. Quare ita in eo loco cruciaberis, donec (vt Christus Dominus di-  
xit) h reddas nouissimum quadrãtem. nihil interim propterea apud Dominum  
promerendo. Si igitur in mortali hac vita multò minori labore, maiori  
verò tuo commodo potes holocaustum tuum comburere, culpas tuas con-  
sumere, omnia tua debita suavissimo Spiritus S. igne, & operib. ex eo pro-  
manantibus exoluere: quænam quæso est prudentia, in tanta tepiditate &  
incuria vitam ducere: reiiciendo solutionem debitorum in alteram vitam,  
in qua horrèdis purgatorij ignibus sis comburendus? Incipe itaq; feruenter  
satisfactionis opera, si facis (vt S. Ioan. Baptista exhortabatur) fructus dignos  
pœnitentiæ: qui debita tua exæquet, aut etiã superent; arbor enim pœnitentiæ  
interioris, vt S. Greg. ait, nõ solum folia producit verborum, quibus culpas  
suas exprimit; & lachrymarum ac singultuum ramos ob earum dolorem:  
sed fructus quoque profert ieiunij, elemosynæ, & orationis; aliæque sancta  
opera, quæ tum pro debitis pœnis dignè satisfaciant, tum digna censeantur  
homine, qui se ostendit verè pœnitentem ac dolentem de pristinis suis  
culpis. Ad cuius confirmationem stupendum quoddam exemplum refe-  
ram nobilissimi cuiusdam, sed moribus similiter deprauatissimi, & ab au-  
dientiis concionibus alienissimi, cui vir quidam Religiosus, morum & in-  
genij eius conscius, hæc tantum verba magno tamen Spiritus feruore dixit:  
Bonum quod tibi vis fieri, fac quoq; tuo proximo. quam sententiam si memoria  
retinueris, & opere ipso exequeris, saluaberis. Audiuit nobilis ille vir bre-  
uem hanc exhortationem: quam ipse Dominus DEVS cum tanto peccato

rum suorum sensu in eius corde reperijt: vt pœnitentiæ arbor copiosos statim fructus produxerit, sicut in Zachæo: quosdam quidem *insitita*, debita sua exoluendo: alios *miseriçordiæ* in pauperes. sic enim exaudita sententia Religiosi ratiocinabatur. Si quis tibi aliquid deberet, velles statim tibi solui? & si tu pauper es, an non libenter videres, si diues tibi eleemosynam largiretur? Iustum itaque est, vt tu reddas, quod debes tuis creditoribus; & pauperibus ac egenis subuenias. Quibus operibus dū vacaret, quadā nocte excepit in domo sua ægrotum quendam pauperem: cui postquam cœnam bonam dedisset, iussit prope suū cubile lectū ei sterni, dicens: si ego pauper essem & ægrotus, libenter viderem me ita humaniter excipi. Media verò nocte cœpit ægrotus pauper clamare, & aquę haustū petere, dicens: se graui siti vexari. surrexit nobilis ille, vt haustum illi daret, dicens intra seipsum: si tanta ego siti premerer, libenter viderem, si aqua haustus mihi porrigeretur. Descendit itaq; ad cisternā, vt aquam afferret: & cum esset obicurū, & in feruore illo acceleraret, impegit & cecidit intus: & ipso Domino permittere suffocatus est. Fuit casus extraordinarius quidē, sed & sensus & lachrymæ totius domus fuerunt extraordinarię. Sed breui tēpore lachrymas illas Deus fecit exsiccari. cum enim defuncti corpus ex cisterna extraheretur, habuit pretiosissimū torquē aureū ad collū suū incisus & elaboratis characteribus splendidissimis, qui hanc sententiā continebant: *antequam corpus hoc in aqua refrigesceret, anima eius iam fruebatur Deo*. O diuinæ misericordiæ sublimitatem! O veræ pœnitentiæ efficacitatē! cuius operibus aded deprauatus homo tā citò volauit in cœlū, absq; vllō igne purgatorio, honorante eū etiā Deo in hac vita: vt eius mors felix iudicaretur! siquidē ita fuit rapt⁹, antequā dæmon & mundus, bona eius proposita imminuerēt, aut mutarēt.

§. II. De reformatione, ad quam hæc opera diriguntur.

EX dictis satis apparet, hæc tria pœnitentiæ opera, non solum eo nomine fructus conferri, quod debita nostra persoluant: sed etiā quodd per eadē obtineamus morū nostrorum reformationē in omnibus quæ ad perfectū Christiani hominis statū spectant. Ieiunia enim & aliæ corporis pœnitentiæ reformant nos in *nobisipsis*; eleemosynæ, & opera misericordiæ, in ordine ad *proximos*; oratio deniq; & cultus diuini opera in ordine ad ipsum *Deum*. *Primum* consequuntur, quia & corpori & spiritui aliquam pœnam inferunt. Nam, vt ait S. Thom. bonorum operum satisfactio, pœnæ præcipuē innititur illis annexæ: culpa enim non nisi pœna exoluitur; licet vna pœna possit altera redimi, purgatorij verbi gratia, huius vitæ pœna. Reformationem verò consequuntur propter obiecti præstantiam, & fines excellentes, in quos diriguntur; & ob aua ingentia cōmoda, quæ secum afferunt, ad excellententem illam perfectionē consequendā, de qua dixit Apost. a *Nolite*

Quod tibi  
fieri velles,  
fac alteri.

Mors felix  
peccatoris.

I.

4. dist. 35. q.  
1. ar. 5. q. 1.  
Suares. 10. 4  
in 3. p. disp.  
37. s. 7.  
a Rom. 12. 2.

Opera bona  
oluunt, &  
reformant.

2.

b Mat. 13. 8.

Triplex fru-  
ctus.

c Osee. 10. 12.

Largum si-  
men.

3.

d Mich. 6. 3.

Iudex.

Mater.

conformari huic saeculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: ut probetis quae sit voluntas Dei bona beneplacens, & perfecta. Quasi dixerit: quandoquidem per poenitentiam reiecitis prauam illam conformitatem, qua huic mundo vos accommodabatis: studete, nunquam amplius eidem vos conformare in vlla re: sed reformationem quandam in spiritu, & omnibus sensibus, & affectionibus vestris ita instituite: ut in rebus omnibus conformes sitis voluntati Dei bona, beneplacens, ac perfecta. BONAE reddemini conformes, ieiunij, & alijs poenitentiae operibus; BENEPLACENTI, eleemosyna, & alijs misericordiae operibus; PERFECTAE, oratione, & cultus diuini operibus: dedicantes vos omnino exequendis omnibus, quae Deo placent.

Eisdem tribus operibus producit sementis poenitentiae tres illos excellentes b fructus, quos Christus Dominus noster, *trigesimum, sexagesimum & centesimum* appellauit. Na, si corporis asperitates seminaueris, fructum colliges *trigesimum*: quia carnem reformabis in omnibus, in quibus debet esse spiritui subiecta; si eleemosynas corporales, & spirituales, duplum fructum, *sexagesimum* scilicet tibi colliges: reformabis enim te non solum in operibus *iustitia* erga tuos proximos, sed etiam in operibus *gratiae*; at si opera orationis, cultusq; Dei semines, *centesimum* fructum colliges: reformabis enim tuum spiritum in ijs, quae sunt necessaria, ut diuino sis subiectus atque vnitus. Refert vero multum liberalem te esse, & copiosum in his operibus; qualis enim sementis fuerit, talis sequetur & messis, iuxta illud Osee: c *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiae*. quasi dicat, si in iustitia seminaueritis: tantum metetis misericordiae, quantum ore petere volueritis! Nam simul licebit officium praestare seminantis, & metentis. Si enim cum spiritus feruore multa opera seminaueritis, quae vos iuuent, ut vera iustitia sitis iusti: statim & absque vlla mora copiosissimas meritorum messes metetis, cum magno virtutum donorumque caelestium augmento. quae diuina misericordia, ob diligentiam in seminando adhibitam, vobis largietur.

DENIQUE tribus hisce operibus excellens illa sanctitas obtinetur, quam Propheta Micheas commendauit, dicens: d *inducabo tibi o homo quid sit bonum: & quid Dominus requirat a te. vltio facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Si vis igitur, o Christiane, summam quandam nosse eorum, quae Deus tibi praecipit, & consulit, ut in omni genere spiritualis boni, *honesti* scilicet, *vtilis ac delectabilis* bonus euadas: haec tria custodias, dando operam, ut ieiunium & poenitentiam recti *iudicij* spiritu exerceas: cuius munus est, delicta punire, & efficere, ut legis praescripta seruentur. Viscera quoque indues misericordiae erga tuos proximos, eleemosynas eis cum spiritu *matris* largiendo, quae filijs suis compatitur. Prae omnibus vero sollicitus ambulabis cum Deo tuo, accurrens ad

omnia

omnia, quæ ipsius obsequium exigit, tanquam *filius* valdè cupiens Patri suo placere. Et hoc spiritu orationem facies, & reliqua præstabis opera, quibus ille honoratur, & eidem obeditur.

Hæc sunt in genere tria opera, quæ ad satisfactionem & reformationem perfectam, quam quærimus, pertinent: sed quoniam singula includunt in se multa, & valdè vtilia, singulorum particularia in proximis capitibus indicabimus.

## CAPVT XI.

## MORTIFICATIONES, ET POENITENTIAE

*corporales earum utilitates, & ratio eas cum spiritu faciendi.*

**P** RIM I poenitentia digni fructus, qui sub ieiunio continentur, mortificationes sunt, & asperitates corporales, quibus duo illa, quæ Philosophi duobus illis verbis: *ABSTINE* & *SUSTINE*, exprimunt, adiungantur. Negando scilicet tuis facultatibus & sensibus delectabilia, quæ concupiscunt: nec solum illicita, sed etiam (vt S. Gregorius ait) nonnunquam licita, vt remotior sis à lapsu in illicita. & præterea te ipsum vrgendo ad res amaras, quas horres, accipiendas: vt carnem tuam pro meritis tractes. Quod teste S. Thoma, significat cōfectio illa, siue a *mixtura myrrha & aloes* in pondere centum librarum, qua Nicodemus mortuum & vulneratum Seruatoris nostri corpus vinxit: qua totum illud à capite vsque ad pedes ita condijt, vt totam mixturam imbibens à corruptione præseruaretur. ad significandū: si iustus sit per poenitentia peccato mortuus, habeatq; intra se Christum Dominū, velitq; absque vlla culpā corruptione seipsum conseruare, & à suis vulneribus plenè curari: debere eum *myrrha & aloes*, duplici scil. genere mortificationū, & asperitatū prædictarū sese inungere; & ita condire, vt totus eas imbibat: procurando vt plurimæ illa sint, valdeq; exacta. Illis itaq; vngendi tibi sunt *oculi & aures*, vt à peccatis & tentationibus, quæ per eos ingredi solent, præserueris; vngendū *os*, ne quid prohibicum per illud ingrediatur, aut exeat per linguam; vngendū *pectus & manus*, ne praua desideria sedē in illo collocent, nec in praua aliqua opera labaris: sed sponfam imiteris, cuius b *manus, stillabant myrrham; & digni pleni erant myrrha probatissima*. Hanc enim mortificationem omnibus suis operibus adhibebat, prosperis & aduersis; magnis & paruis ex: quo decem insignes vtilitates percipiebat, sicut iam declarabitur.

Filius.

Homil. 20.  
in Euang. &  
lib. 5 Moral.  
cap. 3.  
3. p. 9. 51.  
2. ad. 2.  
a Ioan 19.  
39.

b Cant. 4. 5.